

# MELISSA



EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tél. (02) 735 04 08. Telecop. (02) 735 51 32  
Editor responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT - guy.licoppe@infoboard.be  
Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

## *IN MELISSA QUID NOVI ?*

... Incredibile sed verum: in ultima symbola seriei,  
qua de nave Sancti Didaci agitur, tandem invenimus  
illum famosum thesaurum !

☞ p. 3

... Ecce altera pars symbolae, qua textus  
pharmaceutici proponuntur.

☞ p. 5

... Ut iam praeterito fasciculo, ecce opera inedita a  
Plantini Moreti nepotibus conscripta.

☞ p. 8

... Nunc de re modernissima ! Reticulum Internet  
etiam pertinet ad Latinitatem !

☞ p. 10

... Sed quid est reticulum Internet ?


☞ p. 12

... Non solum agitur de hodiernis temporibus, sed  
etiam de Medio Aevo.

☞ p. 13

... Libri, disci, spectacula, seminaria: omnia nova,  
omnia Latina !


☞ p. 15



Hoc instrumentum est res maxime miranda inter  
eas, quae in nave Sancti Didaci inventae sunt.

Quid sit, explicatur p. 2.

*Melissa fidelibus subnotatoribus omnibusque Latinitatis  
vivae fautoribus annum novum faustum felicem exoptat !*



# IN MEMORIAM INCLUTAM PROFESSORIS EUTHYMII ANTONAROS

Modo nobis maerentibus nuntiatum est Professorem Euthymium Antonaros inopinanter vita functum esse.

Eum convenire mihi primum licuit anno 1978 inter seminarium, quod Professor Osvaldus Dilke Ledesiae (v. Leeds) in Magna Britannia instituerat. Tunc miratus sum quod verus Helladis civis tam facile libenterque Latine loquebatur. Tunc etiam intellexi linguam Latinam pertinere ad patrimonium culturale totius Europae etiam huius partis, quae quondam fuit Byzantina.

Professor Antonaros, quoque mirans, mihi dixit: "Tu, medice, Latine loqueris!"

Compluries postea mihi licuit eum iucunde convenire. Anno 1988 de eius vita, actis scriptisque multa, quae nobis narraverat, in Melissa divulgavimus (n° 26). Non omnia tamen, inter quae eius aetatem, quam celare volebat. Comperimus nunc per uxoris litteras eum natum esse anno 1915. Eum ut militem bellum contra Italos a mense Octobri anni 1940 participavisse atque mense Martio a. 1941 laesum esse.

Anno 1963 electus est professor aggregatus litterarum Latinarum in studiorum Universitate Atheniensi. Anno 1976 electus est professor ordinarius primae cathedrae litterarum Latinarum in eadem Universitate.


Recenter pessime tulit se immerito non receptum esse in Academiam. Alius receptus est, cui nulla erat Latinitatis peritia. A quo tempore multum laboravit ex corde. Die 11 mensis Augusti a. 1995 vita functus est ille vir, qui totam vitam strenue dedit studiis Latinis. Latinitas viva perdit sincerum propugnatorem.

Cum eius uxore toto pectore condolemus.  
Sit ei terra levis.



Euthymius Antonaros et Osvaldus Dilke,  
a. 1978 inter seminarium Ledesiae habitum  
(ex archivio Gai Licoppe)

Imago p. 1



Nullum aliud exemplar instrumenti huius generis adhuc repertum est. Archaeologi eius usum non statim intellexerunt. Iuvantibus tamen hominibus rerum nauticarum peritioribus, apparuit explicatio. In medio circulo disposita est pyxis acus magneticae modo Cardanico suspensa. Instar sphaerae armillaris\*, circulus gradibus incisis circumdatus est duabus armillis versatilibus etiam

gradibus incisis. In disco moveri potest alidada\*\* ad astrum collineandum apta. Quo instrumento demonstrantur prima nautarum conamina ad navis positionem noscendam in longitudinem. Scitu dignum est longitudinis computationem tantum XVIII saeculo perfectam esse.

\* sphaera armillaris: instrumentum quod spectat ad cosmographiam, ubi terra in centro posita circumdatur compluribus armillis quibus finguntur orbes corporum caelestium.

\*\* alidada, ae (vocabulum Latinum mediaevale origine Arabicum): Fr. alidade, Th. Diopterlineal.

# DE NAVE SANCTI DIDACI (IV)

NARRAT GAIUS LICOPPE

Anno 1991 incohata est perquisitio reliquiarum navis Sancti Didaci in hac fundi maris area, ubi Franciscus Goddio ex manuscriptis a cooperatoribus inventis compererat navem re vera demersam esse. Expeditio huius amplitudinis instrui non poterat sine multa pecunia; quam praebuit Fundatio Elf (Elf est societas petrolearia Francogallica).

Propter fundi maris salebritatem fieri non poterat ut instrumentum detectorium commune adhiberetur. Necessarium fuit magnetometrum maximaे sensualitatis adhibere, quo massae ferreæ etiam minores accurate reperirentur. Expertus enim sciebat Franciscus Goddio erosionem massarum ferrearum in aqua marina tantam esse, ut magnetismus in veteribus navium reliquiis remanens plerumque fieret tenuis. Praeterea maior pars massae metallicae in nave Sancti Didaci constabat ex cannonibus aeneis; satis autem constat aes vix perturbare campum magneticum.

Elegit ergo magnetometrum resonitu magneticō nucleari actum, quod creaverat Francogallicus Commissariatus Energiae Atomicae. Hoc instrumentum millies sensualius est quam commune.

Mense Martio catamaranum Kaimiloa duo huius generis magnetometra in mari decem metris mersa trahere coepit per aream tria chiliometra longam atque sesquichiliometrum latam.

Sed per totam navigationem oportebat de catamarani positione continuo atque ad amussim moneri, ut, si quod vestigium reperiretur, eius situs postea iterum facile inveniri posset. Hoc, quod Sancti Didaci nautis miraculum visum esset, nostris temporibus sine difficultate fieri potest.

Grex archaeologorum in proxima insula Fortunae tres metas disposuit Hertzianas undas emittentes, quarum emissiones recipiebantur in celocem bicarinam Kaimiloa; computatro ad rationes trigonometricas apto situs navis quarta quaque secunda indicabatur accuratissime, i.e. cum errore maximo unius metri.


Frequentes campi magnetici enormitates reppererunt magnetometra. Singulae exploratae sunt ab urinatore,

sed per quattuor septimanas nulla congruit cum reliquiis Sancti Didaci navis. Tandem urinator, qui enormitatem in media area rectangula sitam exploraverat, e mari emersit subridens: nam reliquiae navis Sancti Didaci iacebant ad perpendiculum sub catamarano in fundo maris quinquaginta metra alto. Hic situs ab insula Fortunae distabat mille ducentis metris (1,2 chiliometro), quo demonstrabatur Antonium de Morga mentitum esse...

Fieri non poterat ut eodem anno incoharentur effossiones subaquaneae, cum imminaret tempus ventorum typhonicorum. Praeterea nova magnaque pecuniae copia necessaria erat ad hoc opus suscipiendum. Quam Fundatio Elf iterum liberaliter praebuit.

Altera expeditio incohata est mense Ianuario anni 1992. Navis bicarina Kaimiloa imprimis magnam boiam<sup>1</sup> rubram supra situm reliquiarum navis Sancti Didaci destinavit. Franciscus Goddio duas parvas naves conduxerat Singapurae, in quas omnia armamenta ad effossiones necessaria imposita sunt. Inter quae clocca urinatoria<sup>2</sup> et parva navis subaquanea. Una navis ad boiam stetit ancoris destinata, unde urinatores operari coeperunt. Inter hanc et litus commeavit altera, quae cibos recentes afferret et res in reliquiis inventas Maniliam portaret.


Tumulus reliquiarum Sancti Didaci in longitudinem viginti quinque metra, in latitudinem octo metra atque in altitudinem tria metra porrigebatur. Circa tumulum iacebant complures



centenae fideliae atque e summo tumulo eminebat integra aenea bombarda.

Nimis longum est effossiones minutatim narrare. Scitu tamen dignum est effossiones subaquaneas difficiles esse et periculosas. Duodeviginti urinatores aderant, quorum bini vicissim opus continuo efficiebant. Nam tantum circiter quadraginta minutae eis licebat in fundo maris operari, cum postea per integrum horam deberent ad summam aquam gradatim ascendere propter periculum decompressionis<sup>3</sup>. Venenati pisces et muraenae alia pericula offerebant urinatoribus. Maxima ergo prudentia tumulus erat aggrediendus.

Iam initio effossionum apparuerunt vasa porcellana integra, quae in Sinis tempore imperatoris Wanli (1573-1620) fabricata erant. Infeliciter pleraeque res commixtae erant cum saburra, cuius singuli lapides fuerunt prudenter removendi. Circiter sex milia diversarum rerum inventarum in repertorio inscripta sunt.



*Nitida pyxis porcellana bicoloris*

Sub saburrae mole magna pars carinae reperta est optime servata. Quae inventio historicis structurae navalis visa est maximi momenti. Nam non solum est unicum testimonium navalis structurae Hispanorum in Asia, sed generaliter structura navalis illius aetatis vix est nota.

In prima pagina ostenditur singulare navigationis instrumentum; etiam inventum est astrolabium nauticum; huius instrumentorum generis tantum circiter 70 exemplaria in orbe terrarum servata sunt. Tot canones in reliquiis inventi sunt, quot numerabantur in archivi indice. In quodam ex eis incisum erat: PHELIPUS REX. Omnes e mari sunt extracti atque modo inexspectato Manilam sunt reportati post quattuor fere saecula.

Circiter octingentae fideliae inventae sunt, omnes sive in parte meridionali orientalique Asiae sive in Sinis fabricatae. Tam aptae erant ad aquam

potabilem cibosque servandos, ut Hispani potius eis uti mallent quam ligneis doliis in Europa communiter adhibitis.

Orientales Asiani re vera tunc temporis praecellebant in fictilibus vasis conficiendis. Mille et ducenta delicatissima vasa porcellana in navis Sancti Didaci reliquiis inventa sunt; quod fictilium vasorum genus tunc temporis Europaei artifices conficerere non valebant. Vasa porcellana navis Sancti Didaci pertinent ad hoc genus generale, quod vocatur «album et caeruleum», sed suis formis specialibus insignibusque specificis demonstrant artifices Sinenses fabricata sua consuetudinibus emptorum Europaeorum iam tunc aptavisse.

\*  
\* \*

Permulta supersunt narranda de nave Sancti Didaci, sed hic deest locus.

Hac symbola etiam velim Ibericos navigatores honorare, qui itinera trans oceana Europaeis patefecerunt. Illi exstruxerunt naves altioris lateris, quae oceani fluctus sustinerent atque satis magnam ciborum copiam continerent ad diuturnissimam navigationem peragendam. Scitu dignum est Ibericas gentes ligneas naves onerarias maximae capacitatis exstruxisse, quae umquam exstiterunt.


Illi nautae nova navigationis instrumenta confecerunt, quibus certiores tutioresque factae sunt longinquae navigationes.

Illi non solum primi circum terram navigaverunt, sed etiam invenerunt quomodo possent ab Asia ad Americam trans oceanum Pacificum redire: qui tamen redditus erat continua navigatio semiannua, per latitudines septentrionales, ubi frigus saeviebat. Iam post duos menses nautae vectoresque incipiebant scorbutum pati. Aqua siebat rara et putrida. In dies magis foetebat sentina. Eorum qui mense Iulio, ut solebat, navem condescenderant, tantum tertia pars Acapulcum in Mexicum circa finem anni perveniebat viva! ☙

#### ADNOTATIONES

1. Fr. bouée, Th. Boje, Angl. buoy. Etymologia est Latina: boia, ae: quo vocabulo antiquitus designabantur vincula ferrea, quibus pedes impediuntur. Boia videtur esse vocabulum aptum ad rem modernam significandam, quae constat e corpore fluctuantī ad maris fundum ancora et catena destinato.
2. Fr. cloche de plongée, Th. Taucherglocke, Angl. diving bell.
3. Decompressio, onis: cfr *Lexicon Medicum*, Polish Medical Publishers, Warszawa 1971. Urinatores, qui sub quinquaginta metris aquae operantur, respirant gaza quorum pressio quinques maior

est quam aeris supra maris libram; multum ergo crescit copia gazorum in sanguine dilitorum, quae, dum ad summam aquam ascendunt, liberantur et fervescunt. Bullae in sanguine apparent, quibus impeditur circulatio per minimas arteriolas. Inde fit ut delicatiores telae praecipue systematis nervosi oxygenio careant et laedantur.



## MARGARITAS PHARMACEUTICAS (II)

PROPONIT FRANCISCA DERAEDT

Praeterito fasciculo vobis formulas pharmaceuticas promisimus, quibus orexis vestra excitaretur. Sumamus, exempli gratia,



inguinedes ceu axungiae et adipum preeparatio.

Ping. porcinae. Ping. vituli.  
Ping. viperae.

Hae autem duae primae pinguedines sumi ex animalibus vigente autumno debent, cum per hoc tempus animalia sint graciliora, et praecipue circa renes. Sed viperina finiente vere, nondum tamen aestate incohata, et maxime circa zirbum, id est circa intestina.

Debentque quoque hunc in modum preeparari. In largiore aquae frigidissimae copia, tunicis exemptis, convenit pinguedines confricari, deinde firmiter expressas siccari, subindeque alia recenti aqua lavari et exsiccati

praeparationem unguentorum, quibus necessariae sunt pinguedines sive axungiae sive adipes:

ut prius; haecque ablutio debet ter aut quater repeti, semper abiiciendo aquam et aliam innovando, donec ultima aqua conspiaciatur sincera et nitida.

Deinde eas oportebit in minutissimas partes dividere et vase dupli liquefacere, spatula lignea aliquoties agitando; aliquatas colo transfundere in aquam, donec frigescant; quibus refrigeratis, aqua lente et guttatum inicienda, et in idem vas alia infundenda, ut leviter iterum eluantur, unde manu comprimi debent, quo facilius faeculentum virus pessum eat.

(*Methodus miscendorum medicamentorum, Parisiis, 1572, sectio I p. 8*)

Nolite putare solas viperas adhiberi in arte pharmaceutica. Omnia animalia habent suam utilitatem; hircus quoque ad usum pharma-

ceuticum (sed quem? haec est alia quaestio) attentissime colitur:



ircini sanguinis praeparatio.

Hircus adultae aetatis et boni habitus ad quadraginta dies nutriatur feniculo, levistico, apio, cerefolio, saxifragia aliisque herbis aperientibus et diureticis, vim habentibus calculum frangendi, illisque vino

albo irroratis. Iuguletur diebus canicularibus; sanguis qui intermedium effluxerit excipiatur, priore et postremo reiecto, et concretus in particulas scindatur..

(*Antidotarium Gandavense, Gandavi, 1663, p. 195*)

In eodem Antidotario Gandavensi (p. 44) tandem aliquando aliquid invenitur, cuius usus ex

nomine est manifestus. Est cervesia quaedam; eius formulam hic propono, cum utilis esse possit:

### Cerevisia laxativa.

**Rx.** Cort Citri.

Rad enulæ Campanæ. Aña 3j.  
Nucis moschatae. 3vj.  
Passularum. 3 iiiij.  
Fol Senæ. 3vj.  
Sem anisi. 3j.

Diagridij. 3 iij.

Fol. Chamēdryos.

Chamēpithyos.

Absinthij Communis.

Romani. Aña M. ij.

*Incidantur incidenda; Et pulverisanda groffo modo  
pulverisentur, sacculoq; linteo inclusa impone vase  
culo quindecim lotorum cerevisia recenter cocte.*

In hoc medicamine praeparando, duae difficultates nobis occurserunt poterunt: imprimis non omnia elementa compositionis facile inveniemus, atque insuper nonnulla insunt signa

esoterica, quorum sensus non liquet, quamquam divinamus ea pertinere ad mensuras et pondera. Quae patet esse in arte pharmaceutica maximi momenti. Cur? Quia...



on habebis in sacculo diversa pondera, maius et minus, nec erit in domo tua modius maior et minor. Pondus habebis iustum et verum, et modius aequalis et verus erit tibi, ut multo vivas tempore, etc. Deuteron. Cap. 25 vers. 13.14.15.

Omnis iustitia est in pondere et mensura; sed sine iustitia ipse mundus non potest subsistere; ergo nec sine pondere et mensura, in quibus universa constituit Omnipotens. (...) Unde non minus in medica, quam arte politica mundus pereat necesse est, nisi fiat iustitia. In logicis quidem "magis" et "minus" non mutant speciem; in medicis autem negotium hoc

eo scrupulosiore circumspectione dignum, quod in illo saepius bis peccare non liceat, et quamvis summum mortis periculum non semper ex eo immineat, saltem si medicaminis pondus heteroclitum fuerit, in abundantiore, notabili anxietate laborabit aeger, in deficiente, inefficacia calumniabit medicum, in ambobus optato fine et spe sua fraudabit uterque; nam Galeno nostro teste veracissimo: nihil aequa artem medicam conjecturalem et infirmam reddit, quam medicamentorum quantitas.

(*Pharmacia Galeno-chymica Antverpiensis, Antverpiae, 1661, Prolegomenum de ponderibus et mensuris*)

Sequitur satis longa dissertatio, e qua intellegitur ponderum nomina varias significaciones habuisse in diversis regionibus; quare auctores has proponunt regulas:

- granum = mensura aurifaborum
- scrupulus = grana 20
- drachma = scrupuli 3

- uncia = drachmae 8

- libra = unciae 12.

Ceterum in Antidotario Gandavensi, quo omnia describuntur, etiam medicamentorum officialia pretia, signa illa explicantur, quae nobis visa sunt esoterica:

# ANTIDOTARI I GANDAVENSIS

De Ponderibus, Mensuris, & Medicamentis simplicibus de quibus Pharmacopæis omib[us] provisum esse oportet;

## TRACTATVS PRIMVS.

### De Ponderibus.

**P**er Pondera & Mensuras, simplicia medicamenta dispensantur, ideoque ab ijsdem ordinendum putamus & in gratiam Tyronum artis Pharmaceutice, suis notis manifestare ea, que hodie in usu sunt. Inter que minimum est (quod Auri-fabrorum esse volumus) pondus unius grani.

Quod h[ab]et notâ depingitur.	—	G. vel ge.
Obolus constat granis decem & semiscrupulum	—	ꝝ β. vel ꝝ s.
facit.	—	ꝝ j.
Scrupulus, fit ex duobus obolis & habet grana	—	viginti.
viginti.	—	ꝝ j.
Dragma, habet scrupulos tres.	—	3j.
Semiuncia, dragmas quatuor.	—	3β. vel 3s.
Vncia, dragmas octo.	—	3j.
Semilibra, vncias sex.	—	ꝝ β. vel ꝝ s.
Libra, vncias duodecim.	—	ꝝ j.

Gaudemus oportet quod ex illo tempore scientia medicinalis multum progressa est. Tamen etiam tunc temporis editio pharmacopœarum fuit ingens progressus ad conservandam restituendamque sanitatem corporis. ... Atque insuper...:

### "APPROBATIO

Hic liber cui titulus Pharmacopœia Brugensis nihil continet Catholicae Fidei aut bonis moribus contrarium. Datum Brugis die 2 Maii 1697.

J.F. de Baillencourt

Archid. Brug. Lib. Cens."

(*Pharmacopœia Brugensis, Brugis, 1697*)

## DE SPECTACULO C.T. "PYGMALION"

Fortasse nonnulli vestrum iam viderunt hoc spectaculum, quod Pragae, Monachi aliisque locis propositum est. In eo est Latinum, quod textus Ovidianus recitatur. Sola actrix, saltatrix et recitatrix est Iolantha Kozak-Sutowicz. Eius maritus, Leonidas Sutowicz, est spectaculi creator. Ambo cupiunt spectaculum suum extra fines propagare; si quis eos adiuvare potest, scribat ad eos:

Jolantha et Leonid Sutowicz, Osloring, 41 - D-24109 Kiel (tel. 49-431 52 83 07)

**A**liorum ponderum nomina, tam Greca quam Romania, ut Deunx, Sextans, quadrans, Dodrans, Triens, octunx, quincunx, Sextunx, & alia multa quorum nullus apud Nos est usus, hic omittuntur.

### De Mensuris.

**Q**uae ponderibus non prescribuntur, dispensantur, vel per fasciculos, hoc est quantum brachio plicato perstringi potest & notatur per ————— Fas.

Vel Manipulos, hoc est quantum manu comprehenditur, & notatur per ————— M. i.

Vel per Pugillos, quod est quantum tribus digitis capi potest, notatur per ————— P. i.

Vel distribuuntur per numerum. ————— N. i.

Per paria. ————— Par.

Per ana, quod idem est, ac cuiusque, vel singulorum. ————— Aña.

Per partes æquales. ————— Part. æq.

Quantum sufficit. ————— Q. s.

Et secundum artem. ————— S. a.

Vel ad pondus omnium. Hoc est tantum ultimè præscripti Medicamenti, quantum præcedentia simul pendent.

# BALTHASARIS ET MELCHIORIS MORETORUM, PLANTINI

## NEPOTUM, EPISTOLAE ET CARMINA INEDITA (SAEC. XVI) (II)

SCRIPSIT THEODORICUS SACRÉ

### 1. DE PARTU UXORIS MAGISTRI LAEVINI BASII CARMEN [BALTHASARIS MORETI] [ANTVERPIAE, ARCHIV. PLANT., 202, f. 8r-v]

*Carmen hoc exaratum est anno 1590 paulo post a.d. VIII Kal. Feb., cum esset Balthasar syntaxeos alumnus scholae capitularis B.M.V. Antverpiensis. Nam ipso Conversionis Apostolorum die Laevino Basio, Balthasaris praceptor, natus erat filius. Hinc alumno occasio data stili exercendi; quem poesi parum tinxerat (rudes enim sunt versiculi), animo tamen pueriliter pio (vv. 20-21) arripuerat. Basius autem cum familiola Dunkerkam mox migravit, Antverpiam interdum revisurus; quo redux Moreti, olim alumni, non erat immemor, ut quem versibus pluriens decoraret (annis 1612 et 1619).*

Lux exorta omnes abigebat quando tenebras obscurae noctis, promens sollemnia festa est quibus ad Dominum conversus apostolus, ecce alma tibi natum peperit, Levine magister, coniux tristitia - namque usque puerpera Iuno ferre solet luctum de consuetudine magnum;

10

sed Pater Omnipotens, superi regnator Olympi, Christus ademit ei nunc hunc, et protulit uxor in lucem infantem, proprium tu cuius in aevum diceris genitor, Levine magister amande. Optamus partum felicem coniugis almae, discipuli optamus nato felicia quaeque, qui baptizatus Paulus genitore volente. Omnino cari castique piisque parentes, sit vobis natus felix, quem sanctus ab alto donavit Dominus, virtuteque crescat in annos, parvum imitetur eum puerum qui Virgine natus dat cunctis vitae moremque modumque gerendum, vobis morigerus sit ut almus Christus Iesus, matri deliciae magnae sit tempore cuncto, 20 magnum et subsidium summa veniente senecta, cumque Deus cupiet salvator migret ad astra.

Iam pergrata tibi si sint haec carmina pauca, omnibus exores veniam, Levine magister.

### 2. FESTA TRIUM REGUM [BALTHASARIS MORETI] [ANTVERPIAE, ARCHIV. PLANT., 202, f. 7r-v]

*Puerile hoc carmen a.d. VIII Id. Ian. 1589 temptavit Balthasar; tres enim eos reges a parentibus admodum coli non ignorabat. Nam (alia ut mittam) Balthasari Moreto fratres erant maiores, nominibus Caspar et Melchior...*

Festa trium regum redeunt, gaudete, parentes, gaudeat et quisquis, nec velit esse ferox.  
Festa dies agitur, celebret convivia laetus

10

quisquis adest, pudeat neve movere iocos. Sed modus haud absit: merito pulcherrima virtus plurima quae cunctis commoda ferre solet, perpetuo virtus haec regnet ubique locorum - tristia nam laetis semper adesse solent. Gaudete in Domino, Christum laudate potentem, muneribus reges quem coluere suis. Quod si feceritis, vobis sollemnia festa haecce trium regum commoda magna ferent.

### 3. FILIUS PATRI S.D. [BALTHASARIS MORETI] [ANTVERPIAE, ARCHIV. PLANT., 202, f. 18r]

*Moris ut est ita erat saeculo XVI ut ineuntibus annis vota pedibus sive soluta sive astricta ad cognatos familiaresque mitterentur. Hoc autem carmen Balthasar ineunte anno 1590 ad patrem dedit, parum, nifallor, favente Musa: nam incompositi rudesque sunt versus. Neque enumeratio (vv. 4 sqq.) aridet mihi neque illud 'parvissima' (v. 14), quod rarenter admiserunt Romani, inconsulto scripsisse videtur hic adulescens. Qui Carmen in funere Plantini*

5

*(qui obierat anno 1589) subiunxit, a nobis heic praetermissum.*

Ecce biceps anni tacite labentis origo iam reddit Ianus, quo donat amicus amicum tempore muneribus de consuetudine patrum priscorum. Princeps exornat munere regem, afficitur donis princeps a rege vicissim; a duce miles amans decoratur munere belli

## Ab oblivione vindicentur ...

et simul a grato munuscula milite ductor  
accipit; a dominis onerantur munere servi  
et domini a famulis; gnatum pater afficit almus  
muneribus, gnatus genitorem filius atque 10  
condecorat donis. Igitur, ne spernere morem  
hunc videar toto qui nunc celebratur in orbe,  
laudibus eximiis omni dignissimus aevo,  
haec, reverende parens, tenui parvissima filo  
carmina texta tibi mitto. Non aurea dona 15  
sunt mihi, quae Croesus praedives habere solebat;  
proinde, pater, quoddam statui tibi mittere donum  
ingenii, quod erat quondam pretiosius auro  
(indicat ut Naso, Pelignae gloria gentis):  
consule quaeso boni nati nec despice dona\*; 20  
compensare tuo dignereque munere munus.

Alme, velis, genitor, precor attendisse parumper:  
ipse tibi paucis conabor dicere verbis  
pectore fixa meo. Ciceronis opuscula docti,  
hoc auctore nihil cum sit praestantius atque 25  
nullus ita, ut nosti, nostris queat utilis esse  
auctorum studiis, pro dicto munere strenae  
te rogo, care pater, mihi non donare recuses.

En tibi carmen avi Plantini in funere mitto,  
quod quaeso accipias laeto, carissime, vultu 30  
tu, pater; et felix valeas per tempora vitae.

Tuus ad quaevis paratissimus filius  
Balthasar Moretus  
Anno 1590

\* dona: munus *ante correctionem*

4. IN OBITUM ADRIANAЕ GRAS P.M. CONIUGIS IACOBI MORETI P.M. QUAЕ OBIIT OCTUAGESIMO AETATIS ANNO [BALTHASARIS MORETI]  
[ANTVERPIAE, ARCH. PLANT., 202, FF. 42V -43R [=A] - 1150 A, F. 62 [=B]]

*Adriana Gras, Iohannis Moreti mater eademque  
Balthasaris avia a.d. V Kal. Jun. anno 1592  
supremum obiit diem anno aetatis aut  
unde octogesimo aut septuagesimo sexto. Epicedium  
quod in eius funere scripsit Balthasar superioribus  
carminibus elegantius esse nobis videtur: verba  
enim melius delecta, disticha aut vix automnino non  
clauda, dicendi genus magnam partem vere  
Romanum: ecce tandem aliquando licuit Balthasarem  
Musa dignum fore poetam. Subiunctum est  
chronodistichon, quod omnibus numeris absolutum  
esse asseveraremus, nisi D littera e computatione  
mirum in modum esset exclusa. Funebre hoc Carmen  
bis descriptis poeta; nos versus retractatos et auctos  
in publicum proposuimus, variantibus lectionibus in  
apparatum criticum relatis.*

«O Aganippeae, castissima numina, Musae,  
lugubres tristi fundite corde sonos.  
Ponite victrices lauros, gestate cupressos  
et nitidas atra cingite fronde comas.  
Absit dia chelys Phoebi citharaeque canorae, 5  
tuque refer maestum, maesta Thalia, melos.  
Ingenti reboet rupes Parnassia planctu,  
divus Gorgonei fons lacrimet equi.  
Vos etiam, viduae, Christi iustissima cura,  
laetitiaque signa movete procul, 10  
vellite pullatae singultibus ilia crebris  
suffusa et lacrimis ora rigate piis.  
Grassia, virtutis vobis exemplar avitae,  
extremum ah clausit Grassia morte diem.\*  
Hos ego turbato rumpebam pectore questus; 15  
reddita vox aures pervolat ista meas:  
\*Cur lugere iubes sacras Heliconis alumnas  
et prohibes modulis aequiparare chelyn?  
Cur quibus in vacuo restant solacia nulla

lecto, se viduas haud recreare sinis? 20  
Nestoreos annos senio confecta peregit;  
hic an eam semper vivere posse putas?  
Ut laeta ante obitum carae conubia prolix  
cerneret orabat coniugis orba Deum.  
Assensus precibus viduae lugentis Iesus 25  
lanificas vetuit rumpere fila deas.  
Adde quod et prolem vidiit de prole creari  
ac avia in terris audiit inde parens.  
O nimium felix, Pylii cui cernere saecla  
contigit: est cycno rarius ille nigro. 30  
Ergo quid hanc defles, quae fessa aetate senili  
ivit ad aethereas, templa beata, domos?  
Nam cur non superas caeli concenderit arces  
quae studuit summo viva placere Deo?  
Quid referam quanta cura virtutis ab ipsis 35  
cunis difficilem coepit ire viam?  
Vix infans, multo veneratur honore parentes,  
quaelibet illorum iussa facessit ovans.  
Haec virtus primum, nitidus velut unio, natam  
ornat et insignem nobilitate facit. 40  
Figere cum posset teneris vestigia plantis,  
devota Christum religione colit.  
Sacratas divis laetatur visere sedes  
et casta superos sollicitare prece.  
Iam matura viro plenis ac nubilis annis 45  
haud caeco Paphiae carpitur igne nimis,  
ut de more solent, turba irrequia, puellae  
quas vesanus agit nocte dieque furor.  
Saepe hac sidereum compellat voce parentem:  
“Si me vis thalami foedus inire, Deus, 50  
velle tuum fiat, taedas nec sperno iugales;  
sin minus aeterna virginitate fruar.”  
Demum nupta viro (nam sic pia fata ferebant)  
aequo animo suffert connubiale iugum.  
Post aliquot messes tollit mors saeva maritum 55

moribus ingenuis ac pietate gravem.  
 Tum maiore Dei vidua inflammatur amore  
     atque odit socii vincla secunda tori.  
 Se natosque suos committit provida Christo  
     ac hominis vanam temenere discit opem. 60  
 Freta Dei auxilio nil damni ferre recusat  
     nec timet ambiguae tela nefanda deae.  
 Pauperibus largo depromit munera cornu  
     et quoscumque potest non remorata iuvat.  
 Hanc tandem omnipotens alti moderator Olympi  
     grandaevam ad caeli gaudia summa vocat.  
 Nemo igitur lacrimis pergit decorare sepultam,  
     sed memor hoc eius carmine quisque siet:

GRASSIA VIRTUTVM VIDVAE BONA REGVL A CASTAE  
 AETHEREI ACCESSIT LVCIDA REGNA POLI.»

70

- 7-8 omisit A  
 14 ah B: heu A  
 18 et B: cur A  
 27-28 Adde... parens B: Adde quod audivit prolem  
     de prole creari / appellari aviae promeruitque  
     parens A  
 29 cernere B: vivere A  
 32 templa: regna A ante corr.  
 39-40 omisit A  
 65 alti: caeli A ante corr.


5. LOVANIUM [MELCHIORIS MORETI] [ANTVERPIAE, ARCH. PLANT., 89, p. 541]

*Duo haec disticha litteris quibusdam inseruit Melchior ad Iohannem (1576) et Balthasarem fratres datis, cum studiorum in universitate Lovaniensi theologiae studiis incumberet; quae cum carmen redoleant scholasticum, dubito utrum exscripta tantum an etiam composita sint ipsi.*

Vivat Lovanium, Musarum commoda sedes,  
     sedes Musarum vivito Lovanium.  
 Vivat Lovanium, vivant omnes studiosi,  
     vivat Lovanium, nobile Lovanium.

## LINGUA LATINA RETICULUM "INTERNET" INVADIT!

SCRIPSIT MARCUS DECRETON



Novissimis annis ordinatum multam quotidiana vitae partem sensim attigit. Non solum homines scientiarum periti graphica sua eo exornant, sed cuivis nostrum facultas datur domi «PC» ordinatri collocandi, licet eo ad quaelibet negotia, vel seria, vel ludicra, utatur et abutatur. Alii epistolas vel commentarios scribunt, alii rationes suas argentarias referunt, multi tantummodo ludunt et tempus otiosum sicerunt. Refertur etiam quosdam, praesertim pueros, sic addictos evenire ut quasi insani fiant.

Sed ordinatum personale hodie non solum ut instrumentum locale nostras vitas mutat, sed etiam novas portas ad orbem terrarum (vel magis orbem ordinatorum) nobis aperit, veri instrumenti

communicationis instar.

Per organulum quod «modem» nuncupatur et ad rete telephonicum alligandum est, ordinatum nostrum cum omnibus aliis eodem modo alligatis ordinatis coniungi potest et cum eis quaelibet data transmittere. Sic fit aditus non solum ad alia personalia ordinatra, sed etiam ad magna datorum depositoria publica, ad bibliothecarum catalogos, et fortasse aliquando, utinam fortuna sinat!, etiam ad argentariarum secreta. Ad immensum scientiarum thesaurum sic accessum facilem praebet ordinatum, ut cras libri vix necessarii videantur.

Ordinatum enim pars fit maximi retis ordinatorum, mundialis quidem, quod «Internet» Anglice vocatur et fortasse Latine internationalis reticulatio vel reticulum reddatur. Si tali modo communicare vis, satis est ordinatum personale in promptu habere cum «modem» coniunctione, aptum programma sicut «Netscape» in eo collocare, nomen dare ad reticuli cursualem inscriptionem

comparandam, et proh dolor! pecuniam etiam solvere pro inscriptione et telephonici retis usu. Inscriptio dividitur in partes duas, quae sunt nomen et nodus, signo @ separatas. Utraque pars sequentiam attributarum praebere potest, signo puncti interposito. Inscriptio exempli gratia *marc.decreton@sckcen.be* mihi est, ubi sckcen ergasterium indicat ubi munere ingeniarii fungor et *be* nationem Belgicam.

Sed quapropter in Melissa hae nugae divulgenda sunt? Quibus rebus Latinistae hoc allici possunt? Nonne Anglica lingua domina, et tyranna quidem, emergit in omnibus rebus ad ordinata pertinetibus? Ita ut reticulatio nostra nullam exceptionem praebeat?

Est certe, sed multum abest ut lingua Latina hic omnino absit. Apparet hic Latinitas revera, nec locum inhonorabilem in consortio aliarum linguarum tenet. Exempli gratia, pagina exstat ad ius Romanum pertinens in toto Latine scripta (vide infra) et parva folia Latina de Latinitate Christiana (vide *chris@kasey.umkc.edu*). Utraque aditus ministratur ad plurimos textus Latinos, tam classicos quam mediaevales. Ut alios praetermittam, Vergilii opera omnia praebentur, Boethii consolatio philosophiae, Augustini confessiones, Bibliae vulgata versio, aliqui mediaevales textus minus noti, etc. Me piget tamen quaedam opera tantum in versione Anglica exstare. Reticulum «Internet» etiam de quibusdam discis compactis nos certiores facit, omnia opera classicae Latinitatis continentibus, necnon de multis libris in hac provincia editis. Immo enim vero, alia mirabilia quoque ostenduntur! Aliquot textus (e.g. Boethii consolatio) formam specialem praebent, quae «hypertext» Anglice nomen habet, et quam quidam tridimensionalem librum esse dicunt. Talis textus primo aspectu ut quivis alias appareat, sed,

per murem informaticam, quaedam verba ita indicantur vel potius ita illuminantur ut statim dictionarii rubricae proscribantur ad ea verba pertinentes, sive lexicales, sive historicae, sive philologicae. Investigatio altior fit si in rubrica ipsa, verba iterum illuminantur ut novae rubricae evocentur. Ordinatum tunc non solum unum librum simulat sed totam librariam statim ad manum fert. Talis lectionis ratio praesertim docentibus et alumnis immensum auxilium ferre potest.

Sed hactenus de verbis. Ad facta melius aggrediendumst. Si fieri potest ut id tentetis, prosperam navigationem (Latinam quidem) trans mare «Internet» vobis ex animo exopto.

#### ADNOTATIONES

Internet = INTERNationalis rETiculatio  
ordinatorum  
PC = Pésonale Computatorium instrumentum  
Modem = organulum transmissionis quod data MOdulat et DEModulat frequentia quadam audibili.  
Netscape = unum ex programmatibus quae navigationem trans reticulum adiuvant. Nonne Netscape fortasse ex NETes SCAPo emanet, sicut auxilium ferens ad parvum digitum (nete) sustinendum? Scis hunc digitum madefactum ventorum directionis gratia nonnumquam attolli.  
Hypertext = sicut HYPERbole TEXTus, qui facultatem praebet dictionarii rubricarum evocandarum, cum verbum quodvis mure indicatur.

Ad neologismos informaticos configendos, multum me adiuvit glossarium Brenni Regan, in Voci Latinae fasciculo 114, pp. 529-535, 1993, et Melissae Lexicon minus Latinitatis modernae (1988).

Ecce exemplum paginæ Latinae de iure Romano tractatae et ad alios textus Latinos ducentis. Qui reticulum «Internet» noscunt et eo utuntur, paginam hanc invenire possunt in loco hoc: <http://www.jura.unisb.de/rechtsgeschichte/ius.romanum/origo.html>.

Ius Romanum (Internet pagina scripta a Thoma Rüfner, cui gratias agimus quod textus edendi licentiam benigne dedit)

Lector honoratissime!

Ecce paginam primam collectionis informationum ad ius Romanum pertinentium. Quam cum sit imperfecta inutilem non esse spero. Iam præbentur lectoribus ex digestis Divi Justiniani partes quae infra nominantur cum glossis Accursii ad eas referentibus. Accedunt de vitis iurisconsultorum Romanorum notae aliquae. Dicat quis «Quem ad finem attingendum hoc studium subitis, qua de causa has orationes antiquas in

Interreticulo offertis?». Quibus breviter respondendum est. Primo speramus fore ut promoveatur scientia iuris Romani notitiaque glossarum sapientiae. Quas in formando iure civili Europæ coniunctae maximum valere censemus. Secundo studemus demonstrare non omnia quae in machinis computatricibus utendis inveniuntur esse tam inaudita ut aestimentur. Est modus vel ars orationum machinis computatricibus in conspectum dandarum quae pronovissima habetur ab omnibus: Singula verba orationum signantur et in coniunctiones ad alias orationes referentes transformantur. Nomen est artis istius Hypertext. Simili modo verba digestorum in voluminibus quae

saeculis praeteritis edita sunt signabantur, ut cum glossis Accursii coniungerentur. Ipsi glossis multae indicationes ad alias partes digestorum pertinentes adiebantur. In paginis subsequentibus demonstratur similitas modorum, ut appareat artem Hypertext appellatam novam non esse.

Auxilio omnium indigemus! Ut sit opus hoc perfectum die remoto, omnes venite auxilio! Multis adiuvantibus contingemus, ut totum vel omnes partes graves Corporis Iuris Iustiniani cum glossis in Interreticulo praestentur. Quisquis aditum habet ad librum continentem leges Iustiniani et glossas, potest praeparare unam vel plures leges. Mitte mihi litteras, ut te certorem faciam, quam legem, quam glossam quomodo praepares.

Si quem errorem in his paginis conspicis, aequem mitte litteras: *thomas.ruefner@student.uni-*

*tuebingen.de.*


Exempla, quae iam potes spectare: Ulpiani liber primus institutionum, Vitae Ulpiani, Accursii, Viviani, De furto aliquae paginae a Heiko Recktenwald praeparatae.

Coniunctiones ad orationes Latinas Graecasque in Interreticulo: Tabularium classicum (MIT), orationes et imagines ad archaeologiam et philologiam pertinentes paratae ab universitate Michiganiana, orationes quae sub nomine "Libellus" parantur Vasontiae, orationes Graecae et Latinae quae parantur a "Project Gutenberg" (sicut Fabulae Aesopi et Sophoclis tragoeiae tres de Oedipode), orationes et informationes paratae a Iacobo J. O' Donnell, Vergilli eclogae, Platonis leges. ↗

## DE RETICULO INTERNET: OMNIA SIMPLICITER

EXPONERE CONATUR FRANCISCA DERAEDT

*Informationes, quae hic exponuntur, excerptae sunt et e libello a diario «Le Soir» edito (Multimedia, un écran sur le monde, dossier du journal Le Soir, Bruxellis 1995) et e scripto divulgato in diario «Le Monde» (Laurent Zecchini, Le père d'Internet fier de son rejeton, Le Monde 16 nov. 1995).*



### A quo et quando reticulum Internet creatum est?

Die 21 m. Novembris a. 1969, Angelopoli in Universitate Californiana, Vintonius [Vinton] Cerf una cum nonnullis amicis attentissime inspicit quadrum ordinatri sui. Nam ante nonnullas minutias hanc quaestionem miserunt ad aliud ordinatum compluribus centenis chiliometris distans: «Accipisne verba mea?». Eo ipso tempore momento, quo responsum «Accipio» in quadro apparuit, Internet natum est. Duo enim ordinatra, diversis programmatibus praedita, per reticulum telephonicum inter se communicare potuerunt.

Initio propositum solum pertinebat ad informationes scientificas inter universitates communicandas. At postea permulta possibilites compertae sunt, quibus Vintonius Cerf enthusiasmo eo magis est incensus, quod eius vita

privata reticulo est omnino mutata. Ut exemplum afferamus, eius uxor, cum sit surda, telephono uti non potest. Itaque nunc valde gaudet quod tamen licet per reticulum Internet «colloqui» cum amicis et cum filio, qui longe abest. Per multa eiusdem generis exempla Vintonius Cerf habet narranda.

### Quid est Internet?

Est reticulum reticularum ordinatorum, quae lineis telephonicas, satellitibus et fibris opticis sunt coniuncta. In orbe terrarum fere 4 miliones «hospitum», qui dicuntur, sunt coniuncti. Si vobis est possibilitas «hospitis» cuiusdam habendi (sive in universitate vestra, sive in grapheo, sive domi), tunc fieri potest ut reticulo ita coniungamini ut cum quolibet reticuli subnotatore communicetis.

Itaque Internet videtur esse plus quam reticulum ordinatorum: est spatium quasi infinitum, ingens et facta societas hominum.

### Quomodo operatur?

Sicut cursus publicus, praeter hoc, quod unaquaeque inscriptio cursualis etiam est quoddam diribitorum cursuale. Nam ordinatra coniuncta nimis multa sunt quam ut unum sit eorum centrum. Sic fit ut munera distribuantur inter omnia.

Cogitemus alumnum quendam Europaeum nuntium mittere velle ad alumnū Americanum.

Inter utrumque ordinatum, nullum exstat filum. Itaque reticulo Internet creantur facti circuitus interordinata: nuntius alumni imprimis accipietur ab «hospite», deinde dividetur in complures partes quae mittentur per reticulum, ab alio ad alium «hospitem», usque ad alumnnum Americanum, qui nuntium redintegratum iterumque legibilem tandem accipiet.

#### Licetne omnibus reticulo uti?

Licet, dum «hospiti» sitis coniuncti, sive in grapheo, sive in universitate. Aliter necessarium est ut ordinatum vestrum coniungatis cum tali commerciali societate, quae «hospitis» munere fungatur, ... atque pecuniam solvatis.

Sed haec non est sola condicio: nam oportet etiam sciatis reticulo uti. Quod non est tam facile. Exstant tamen systemata, quibus accessus facilius datur ad reticulum: sicut sistema Anglice vocatum «World Wide Web», i.e. «Mundiale Araneum».

#### Quis reticulum gubernat?

Reticulo nullus est ordo, nullus rector, sed potius anarchia, cui omnes cooperantur. Unicuique licet participare.

Rarae reticuli partes custodiuntur auctoritate cuiusdam universitatis regiminis.

#### Quid offertur?

Imprimis res utilissima: cursus electronicus [email]. Celerius fit quam epistula, minore pretio

quam telephono aut telecopiatro. Insper textus vester statim accipi potest in aliud programma, una cum imaginibus et sonis.

Postea exstant indices [listing]: condere potestis indicem hominum, quorum eadem res intersunt. Sic fiunt quasi associationes.

Multa alia offeruntur, quibus bona rei notitia est necessaria. At nostris temporibus plurimum colitur sistema «Mundialis Aranei» [WWW], quo in reticulo ambulamus et multas res comperimus etiam si non satis periti sumus.

#### Estne idem ac «informationis stratae autocineticae», quae dicuntur?

Non est. Illae «informationis stratae autocineticae» nondum exstant. Si quando exstabunt, erunt imprimis commerciales et magni pretii.

#### Fierine potest, ut cum extraneis communicem?

Sine difficultate. Solum necesse est sciatis eorum inscriptionem cursualem.

Exempli gratia, cum sit tempus Nativitatis, fortasse vultis ad Patrem Natalem scribere. Ille etiam habet suam inscriptionem cursualem, quae est haec: santa@north.pole.org. At nescio num linguam Latinam intellegat.

Ecce inscriptio cursualis Vilelmi Clinton: president@whitehouse.gov.

Maioris momenti: inscriptio cursualis Melissae: guy.licoppe@infoboard.be.

## MEDIAEVALIS AETAS QUOMODO EXEMPLUM FUERIT EUROPAE

NARRAT GAIUS LICOPPE

Hic est titulus (Fr. Moyen Age, modèle de l'Europe) expositionis factae a die 14 m. Septembri in diem 8 m. Novembris huius anni in Instituto Finnico Parisiensi. Nobis licuit eam lustrare. Ibi multis monumentis, imaginibus necnon instrumentis expositis demonstrabatur qualis fuisse radiatio quantusque influxus Universitatis Parisiensis in septentrionales Europae regiones, i.e. in Scandinaviam.

Finnien enim, qui post alterum bellum mundanum in orbe regiminis communistici Russici nimis diu retenti sunt inviti, statim ac facultas eis data est,

consuetudinem renovare voluerunt cum nationibus Europae occidentalis atque strenui participes aedificationis Unionis Europaeaee facti sunt.

Hac ergo expositione memorant, non solum quomodo et quando cultum Europae occidentalis sibi assumpserint, sed etiam Finnos doctos extra patriam functos esse praestantibus muneribus. De his nonnulla referam, quae plerisque fortasse sunt parum nota.

\*  
\* \* \*

Aetas mediaevalis in Finnia signatur dominatione Ecclesiae Catholicae Romanae. Annus 1155, quo Sueti, ut fama fert, primum bellum sacrum in Finniā intulerunt, habetur ut eius initium; finis factus est circa annum 1520, cum orta esset Reformatio.

Ante hanc aetatem nonnulli Finni iam habebant quoddam commercium cum extraneis regionibus ubi pelles septentrionales valde appetebantur. Hi mercatores, propter consuetudinem cum Christianis gentibus factam, Christianae religionis influxum secum in patriam primi rettulerunt, id quod iam IX saeculo appareat in nonnullis ornamentis.

Christianizatio Scandinaviae systematice incohata est IX saeculo, cum frater Benedictinus e Francogallia septentrionali oriundus, nomine Ansgarius (801-861), illuc missus esset. Ille Apostolus Septentrionum, qui vocatur, missionem suam incohavit in Dania, unde in Suetiam se transtulit. Voluit esse, ut ipse aiebat, «oculus caeci, pes infirmi et pater pauperis».

Inter Finnos, primi baptizati sunt mercatores, quia hoc modo facilius negotiabantur cum gentibus Christianis. Cruces argenteae collo suspensae in sepulcris virorum deditum inventae sunt. Notandum est eas duorum generum esse, catholici Romani et orthodixi Novogardiensis (v. Novgorod in Russia). Ergo usque in Finniā porrigebatur scissura inter Ecclesiam occidentalem et orientalem. Maxima tamen Finniā pars inducta est in orbem Ecclesiae occidentalis, i.e. Romanae, bellis sacris XII et XIII saeculo gestis.

Fama fert primum bellum sacrum in Finniā susceptum esse a rege Suetiae Sancto Erico circa medium duodecimimum saeculum. Ei non solum in animo erat Finnos ad Christianismum convertere, sed etiam Finniā in suam dicionem redigere. Quis enim nescit religionem cum re politica saepissime commisceri?

Finnorum conversio neque facile neque celeriter facta est. Iam episcopus Henricus, postea Sanctus Henricus factus, dum missionem regit, necatus est a quodam agricola nomine Lalli. Praeterea diu mansit cultus deorum ethnicorum.


Ad limitem orientalem Finniā Ecclesia orthodoxa etiam extendebatur, iuvantibus copiis civitatis liberae Novogardiensis. Episcopus Thomas, ex Anglia oriundus et Ecclesiae Finnicae primas, inter annos 1230 et 1240 exercitum in Tavastiam duxit, cum Papa ad bellum sacrum gerendum eum bulla hortatus esset.

Tertium bellum sacrum anno 1293 illatum est in Careliam ubi arx Viburgum (Finnice Viipuri, Suetice Vyborg) tunc exstructa est in extremis Christiani agri finibus.

Anno 1323 foedus factum est in urbe Pähkinäsaari (Suetice: Nöteborg), quo delimitabantur Finniāe fines. Iam non mutati sunt per

totam Mediaevalem aetatem. Finnia fuit provincia regni Suetici necnon Ecclesiae Romanae. Regio orientalis c.n. Carelia sola divisa est in duas partes. Nam eius pars orientalis perrexit pertinere ad civitatem Novogardiensem atque ad orbem Ecclesiae orthodoxae.

Missionarii Christiani in Finniā advenerunt eodem tempore, quo in Europa centrali florebat cultus Virginis Mariae. Itaque non mirandum est quod illa facta est Finnorum patrona, cui consecrata est principalis ecclesia, i.e. ecclesia cathedralis in urbe Aboa (hodie Turku) sita.



*Sancta Maria protectrix Finnorum*

Fratres praedicatorum, qui Dominicanī dicuntur, maioris momenti fuerunt in vita spirituali Finniā. Monasterium eis destinatum Aboae conditū est anno 1249. Ibi creata est prima schola theologica. Inde etiam factum est ut Finni studia peragere possent in extraneis regionibus, praecipue Parisiis, cuius universitatē per totam Mediaevalem aetatem duxerunt primam et praestantissimam.

Illa aetate, qua lingua doctorum ubique Europae erat Latina, nihil impediebat quin homines longe a sua patria studerent vel docerent. Sic factum est ut duo Finni munere rectoris universitatis Parisiensis fungerentur: Iohannes Petrus (anno 1366) et Olaus Magnus. Qui vir, Finnice Olavi Maununpoika nominatus, optimam habebat famam. Bis fuit rector universitatis Parisiensis, anno 1432 et anno 1435. Ab anno 1450 per decem annos fuit episcopus Aboae.

\*  
\* \*

Multo plura de expositione Instituti Finnici Parisiensis essent dicenda, nisi angustiis paginarum impediremus. Hoc unum in fine adnotare volo: Finni temporibus Mediaevalibus maximam partem erant agricultae, sed agricultae liberi, qui ipsi agros domumque possidebant. Haec erat exceptio in Europa.

## LECTORES AD NOS SCRIBUNT



**Marcus Lakebrink Germanus ad nos scribit:**

"Melissae salutem plurimam dico.

Multa folia habent rubricam, quae reservatur "epistulis lectorum"; cur non Melissa? Quae curare non videtur, quid lectores cogitent, neque flocci facere dialogum cum eis. At sub titulo Melissae impressa sunt verba Europaea Folia..., atque inter omnes constat Europam profecto esse rem alicuius momenti, scilicet quaestionem vitalem populorum nostrorum.


Potestne Melissa facultatem dare, non tam ut pontifices Latinitatis inter se incensem, quam ut communes terrigenae inter se communicent, quid

de certis argumentis sentiant, velut de Francogermanica amicitia quae dicitur, quia aliquid detrimenti cepisse videtur. Teutonis quibusdam arrogantia laborantibus, marca Germanica tanti facta, experimentis in Mururoa contra ventum et mare, contra rationem et marsupium peractis?

Licetne sperare suggestionem meam non disconventuram formula Melissae? Quam salvare ex animo iubeo."

*Libentissime, quantum fieri potest intra spatum sedecim paginarum. At nunc etiam exspectantur sententiae omnium lectorum, sive epistulis, sive... reticulo Internet?*

## DE NOVISSIMIS LIBRIS, PHONODISCIS, SPECTACULIS



**Aloisii Hémon Maria Capodelania, narratio Canadica in Latinum versa a Genovefa IMME, ed. Domus editoria Rainardi Brune Leichlingen, 1995 (Postfach 1146, D-40736 Langenfeld)**

Gaudemus oportet quod Bibliotheca Latina iterum aucta est fabula quadam ficta, pulchra fabula qua vita hominum simplicium narratur. Sunt enim tales versiones eo magis desiderabiles, quod rarae sunt. Genovefa Immé translatrix huius narrationis Canadicae est scientia Latina imbuta atque in multis Latinis certaminibus est praemiis honorata.

**Thomae Pekkanen et Gregorii Pitkäranta Nuntiorum Latinorum tertium volumen, Helsinki, ed. Suomalaisen Kirjallisuuden Seura, 1995 (Finnish Broadcasting Company, PO Box 99, SF-00024 YLEISRADIO)**

Iam sex anni nuntiorum radiophonicorum! Iam tertium volumen! Plures pluresque auditores! II, qui huius rei rationem nondum intellexerunt, omnimodo debent prooemium legere, quod Iohannes Taanila in hoc tertio tomo magna sagacitate conscripsit. Ceterum hic liber complectitur nuntios a mense Septembri a. 1993 in mensem Augustum a. 1995 emissos: itaque invenietis argumenta recentissima verbis hodiernis tractata (una cum lexico).

**Phonodisci compacti Phonetices Latinae et Pronuntiatus Latini, Saraviponti, ed. Societas Latina, 1995 (Universität, FR 6.3, D-66041 Saarbrücken)**

Quo modo sunt verba Latina pronuntianda? Quae sunt phonetices Latinae regulae? In qua syllaba accentus ponendus? Haec omnia sunt in duobus phonodiscis compactis perdiligenter explicata atque exemplis illustrata a professore Maximiliano Mangold phonetista. Libellus textualis utiliter adiungitur, quem Dr P.C. Eichenseer conscripsit.



### Programma Latinum in theatro urbis Vasa

Theatrum neurospasticum urbis Vasa, quae est in provincia Ostrobotnia Finniae occidentalis, mensibus Decembri 1995 et Ianuario 1996 programma habet Latinum. "Officium Magorum sive Fabula de origine arcus pluvii", quam Thomas Pekkanen Latine vertit, adaptatio est scaenica operis "Gaspar, Melchior et Balthasar" scriptoris Francogallici Michaelis Tournier.

De his plura fortasse postea nuntiare poterimus.

## ERRATA ERRATORUM

Gratias agimus benevolo lectori, qui nos monuit erratum esse in... erratis praeteriti fasciculi (p. 16). Error enim irrepst... in verbum irrependi! Nam legendum fuit "error irrepst". Calamus sententiam mirum in modum elegit, in quam laberetur!




# LATINE LOQUI...

## SEMINARIA SOCIETATIS LATINAЕ

**Helencinii (Hélécine) in Belgica a die 12 in diem 19 mensis Augusti a. 1996**

In Belgica novus locus inventus est ad seminarium instituendum aptus. Est magnum praedium quod olim fuit abbatia Praemonstratensium et nunc pertinet ad provinciam Brabantiae. Ut in subiuncto photographemate videtis, aedificium principale, XVIII saeculo exstructum, est pulcherrimum; habet etiam viridarium amoenissimum.

Conclavia unius lecti erunt mature reservanda, cum sint satis rara; erunt etiam maioris pretii quam



**Morsaci (Morschach) in Helvetia a die 28 mensis Iulii in diem 3 mensis Augusti a. 1996  
supra lacum "Quattuor regionum"**

Scribatis ad: SOCIETATEM LATINAM  
Universität - FR 6.3  
D-66041 Saarbrücken

In seminariis Latinis, a Societate Latina Saravipontana institutis, participes inducuntur ut Latine loquantur. Moderator peritissimus est Dr P.C. Eichenseer, qui talia seminaria ab anno 1973 solet suscipere; D.r ix S. Albert tirones delectabiliter adducit ad Latine loquendum.

## FERIAE LATINAЕ

**in Carinthia a die 18 in diem 24 mensis Februarii a. 1996**

Scribatis ad: Felicem W. Kucher  
Bildungshaus St. Georgen  
A-9313 St Georgen / Längsee

**Nicaeae (Nice) in Francogallia a die 18 in diem 25 mensis Augusti a. 1996**

Scribatis ad: Clementem Desessard  
Résidence des Collines, C9  
500, Rue Léo Brun  
F-06210 Mandelieu

Feriae Latinae sunt a Dre Suitberto Siedl OCD institutae. Moderatores eas fieri volunt "Tusculum quoddam ubi cum Cicerone, Cassiacum ubi cum Augustino, Cenaculum ubi cum Hieronymo..."

conclavia binorum lectorum. Ceterum seminarii pretium fere simile erit ac Vavriae.

Scribatis ad:  
Gaium Licoppe  
Avenue de Tervueren, 76  
B-1040 Bruxelles